

similitudine, si aedes ionica cōstruerētur, habitū erit
 ratio mediocritatis q̄ & ab se uero more doricorum,
 & à teneritate corynthiorum, temperabitur earum in-
 stitutio proprietatis. Ad consuetudinem autem decor
 sic exprimitur, cū aedificiis interioribus magnificis,
 Item uestibula cōuenientia & elegantia erūt facta.
 Si enim interiora perfectus habuerint elegātes, ad-
 tus autem humiles & imhonestos, non erunt cum de-
 core. Item si doricis epistylis in coronis denticuli scul-
 pentur, aut in puluinais capitulis, & ionicas episty-
 liis exprimentur triglyphi, translatis ex alia ratio-
 ne proprietatibus in aliud genus operis, offendetur
 aspectus, aliis ante ordinis consuetudinibus insti-
 tus. Naturalis autem decor sic erit, si primum omni-
 bus templis saluberrimæ regiones, aquarumq; fontes
 in his locis idonei eligentur, in quibus fana constitu-
 tur, deinde maxime Esculapio, Saluti, & eorum deo-
 rum, quorum plurimi medianis ægri curari uiden-
 tur. Cum enim ex pestilenti in salubrem locum corpo-
 ra ægra translata fuerint, & e fontibus salubribus
 aquarum usus subministrabuntur, celerius conuale-
 scant. Ita efficietur uti ex natura loci, maiores. auctas-
 q; cum dignitate diuinitas excipiat opiniones. Item
 naturæ decor erit, si cubiculis & bibliotheicis, ab ori-
 ente lumina capientur, balneis & hybernaculis, ab
 occidente hyberno, pinacothecis, & quibus certis lu-
 minibus opus est paribus, à septentrione, q̄ ea cæli
 regio neque exclaratur, neq; obscuratur solis cursu,
 sed est certa & immutabilis die perpetuo. Distribu-
 tio autem est cōparum lociq; cōmoda dispensatio,